

utraque specie proposita, quum conventionem opus sit, intelligitur, posse quamcumque earum conventionum adhiberi, quarum supra enumeravimus varia genera.

§. X.

MINVS RECTE OMNEM SEQUESTRATIONEM  
CONTRACTVM DICI.

QVAE quum ita sint a nobis disputata, puto satis nos declarasse rationem, qua nos opinamur fieri posse, ut curatius, quam vulgo soleat, definiatur sequestratio. Sed de eo nondum constat, obiciet quis forte, an curatior sit haec mea definitio? Quare, ut de hac quoque re plenius iudicari possit, adiungam non nullas quaestiones, quae huc pertinent. Primum autem omnino quaerendum videtur: an recte hoc fiat a doctoribus, quod omnem sequestrationem ad genus depositi referant, quasi omnis sequestratio sit species depositi? In qua quidem re dupliciter falli mihi videntur, qui id putant. Nam nec omnem sequestrationem conventionem iniri, ideoque nec contractibus adcerseri posse credo, neque, si vel maxime contractu perficiatur, eam tamen semper in depositum incidere censeo. Vtrumque paucis firmabo. Primum autem, quod dixi, non omnem sequestrationem contractu iniri, satis adparebit ex iis, quae antea a nobis disputata sunt. Nam quamvis verum omnino sit, sequestrationem omnem voluntariam nisi consensu et conventionem partium, quamobrem conventionalem eam non nulli vocare solent, tamen ne hoc quidem verum est, eam sequestrationem contractu semper perfici. Neque enim hoc loco de ea conventionem sermo est, qua partes inter se de eo conveniunt, quod sequestra-